



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Voluptatis stadium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

VI. (f) Sic Hippodamia Oenomai Regis Elidis & Pisarum filia, cum ob præstantiam formæ à multis prociis expeteretur, curuli certamine provocatos, victosque mortem subire coëgit. Referunt enim Poëta, *Oenomaum* concessisse procantibus, ut *Hippodamiam*, dum stadium percurrerent aurigando, in curribus, atque adeò in sinu haberent; quos ipse à tergo, velocissimis equis, & è ventorum flatu creatis, cum hasta sequebatur in essedo, celeritateque præversos, ab averfa corporis parte transfigebat. Quo in certamine etiam Pelops (de quo suo loco) periturus fuerat, nisi *Myrtilum*, Oenomai aurigam, pollicitis corrupisset, ut ille clavos modiolis rotarum non immiserit, adeoque curru fracto & dissoluto, Oenomaus exciderit, moriensque Myrtili caput devoverit, obtestans Pelopem, ut vicem suam ulcisceretur, quod & factum est. Cum enim Myrtilus sibi perfidiæ præmium à Pelope posceret, ab eo in mare dejectus est, quod ab eo *Myrtoum* postea appellatum. *Euripides in Oreste*. Nihil aliud, inquit Mythologus lib. 7. c. 8. est vita humana, quàm certantem & contentio, in quâ multa pericula & calamitates subeundæ; fortiterque cum voluptatibus pugnandum; à quibus si vincimur, in perniciem prorsus ducimur: ac si victores extiterimus, viri fortes ac constantes habebimur, virtutemque ac famam, tanquam Hippodamiam consequemur, & velut sponsam ducemus domum. Hæc ille. Sed pauci, præ dolor! felicem in hoc hippodromo fortiuntur exitum. Plurimos, antequam ad metam speratæ voluptatis ac libidinis perveniant, Oenomaus cum hasta, Mors cum spiculo insequitur, prævertit imparatos & improvidos futurorum, inque medio cursuræ spatio, configit, atque è vita in orcum exturbat. Et verò Hippodamia in sinu procorum aurigantium, subitoque teli adactu pereuntium, ostendit impuræ libidinis cupiditatem, esse *viperam in sinu*, & præsens exitium in tergo: dum cæco impetu fertur, nec considerat, quid sequatur.

VII. (g) Si Myrtilum spectemus, imaginem refert lenonum & lenarum, & quorumvis improbitatis conciliatorum, ac conciliatricum, quorum perfidia ac lenocinandi, corrumpendique nequitia, plerumque in eos ipsos recidit, & in stygias undas detrudit.

VIII. (h) Atalantæ & Hippomenis cursum ad finem sublimiorem referas, argumento sumpto ex verbis Apostoli 1. Corinth. 9. *Sic currite, ut comprehendatis*. Est enim stadium vita præsens; in hoc stadio & certamine antagonista, *Mundus, Caro, Damon*; Agonetheta *Deus, Meta, Aternitas*; bravium cœlestis *corona*; pœna victi, *reprobatio & confusio*.

Xx

(f) Voluptatis stadium. (g) Lenones & lena. (h) Curriculum gloria.